



Nr. Praefides

1. Carmon De Dominio
2. Lathe - probatione dominii in Sax. haud difficili.
3. Gundling - Rei vindicatione
4. Siegel - Dolo translationem dominii impediens
5. Ziegenhorn - Possessione
6. Crell - Retentione Hypothecae ob novum debitum
7. Crell - non permixta
8. Bauer - Dominio rerum sub nomine alterius embaraz
9. Friesen - Proprietatis Dominum ne quidem consentiens
10. Brünneham - de fructuario servitutem imponere posset.
11. Friesen - acquisitione per traditionem.
12. Crell - pluriam personarum obligatione.
13. Eckhard - herede fiduciario absente
14. Crell - Communionem necessaria
15. Crell - Condict. ex leg. 32. ff. De reb. cred.
16. Crell - Servitutibus ad certum modum restrictis
17. Crell - servitute necessaria compendii causa
18. Crell - modis vicini imponenda
19. Crell - An conditio quae propter casum impleri
20. Seip - nequit pro impleta habebatur.
21. Crell - fructu et effectu negotii inutilis.
22. Friesen - querela inofficiosa donationis
23. Friesen - Tutela & successione legitima nexu.
24. Seip - statu rusticorum ex mediis div. rationi-
25. - bus caute dijudicando.

17. *Brafides*
21. *Stiegliß* De eo quod uxores in prejudicium maritorum facere possunt.
22. *Broches* - exigua instrumenti principalem uxoris minus principalem mariti causam continens fidele.
23. *Lauterbach* - ere alieno in societ. conjug. contracto.
24. *Stryck* - iure heredis in revocandis bonis familiae.
25. *Deintlin* - vera in dote scilicet vellej. ad uxorem mercatricem pro marito mercatore intercedentem applicata.
26. *Linck* - Quando absens habeatur pro mortuo.
27. *Mencken* De possessionis turbatione verbis vel scriptis facta.
28. *Nanzel* - nexu heredum ex fideiuss. defuncti.
29. *Nettelbladt* - legato dotis constituendo.
30. *Pistor* - Concursu cedentis et cessionarii.
31. *Reinkhardt* - rebus in Dominio publico existentibus.

37
DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA
DE
CONCVRSV CEDENTIS
ET
CESSIONARII,
SECVNDVM DIVERSA IVRIS ROMANI
PRINCIPIA, ET VSVM HODIERNVM
FORENSEM.

QVAM
PRAESIDE
DEO IMMORTALI
EX DECRETO
ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
IN ACADEMIA LVDOVICIANA
PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQUE IVRE HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE
CAPESSENDI

AD DIEM AVG. cIdcccl
PVBLICAE ERVDITORVM CENSVRÆ
EXHIBET
IOANNES CHRISTOPHORVS PISTOR
GIESSENSIS.

~~~~~  
G I E S S A E,

Typis IOANNIS IACOBI BRAVN, Acad. Typogr.



DISSENTIO IN APOSTOLIS  
CONCORDIA  
ET  
CASSIUS  
SEVERUS  
PRINCIPALIS  
FORNEM

DEO  
FRANCO  
EX  
MAXIMO  
IN ACADEMIA  
PRO  
SYMPTOMATICA  
CALCULUS  
PUBLICA  
IOHANNES CHRISTOPHORUS  
OFFICINAE  
ALBA  
TYPIS







SECTIO PRIMA.

DE CONCVRSV CEDENTIS ET CES-  
SIONARII, SECVNDVM PRINCIPIA  
IVRIS ROMANI, NONDVN IN-  
TRODVCTIS ACTIONIBVS  
VTILIBVS.

§. I.

**A** Ntequam de ipso cessionis argumento ver- *Rerum diuisio*  
ba faciam, praemonendum esse duco, Ro- *apud Rom. in*  
manos varia ac multiplici ratione res suas *corporales &*  
diuissse. Sed inter multas alias harum di- *incorporales.*  
uisionum species, nulla alia ad instituti mei ratio-  
nem propius accedit, quam haec, qua res partiti  
sunt Romani in *corporales & incorporales.* Illae di-  
ceban-



cebantur, quae manu, si CAIVM (a) audimus, tangi poterant, aut si IVSTINIANEA placita sequimur, quae sui naturae tangi possunt, (b) hae, quae tangi non poterant, sub quibus comprehendebantur ea, quae in iure consistunt. (c)

Huius diuisionis occasionem Stoicorum philosophia praebuit, qui sub his duobus vocabulis omnia in mundo comprehendebant. Incorporales res omnes iura ab illis vocabantur, corporales vero dicebantur reliquae res omnes. (d) In eadem fere sententia est IACOBVS OISELIUS, (e) quando rerum in corporales & incorporales diuisionem forte iuris nostri Auctores a Stoicis sumfisse diserte pronunciat. Sed sine vlla dubitatione hanc rerum

(a) *Inst. Lib. I. Tit. I. §. 1. edit. SCHVLTINGIANAE*, quae prodiit *Lugd. Bat. 1717. in. 4.* ex quibus desumpta est *l. 1. de rer. diuis.* In cuius vulgaribus editionibus autem verbulum manu abest. Conf. heic E-MVNDI MERILLII *Comm. ad §. 1. I. de reb. corp. p. 144.* & viri illustris EVERARDI OTTONIS *Comm. ad Institut. p. 201. seq. edit. Ultrai.* Adi quoque HVG. GROTIJ *Flor. sparf. ad Ius IVSTIN. p. 46. Edition. GE-BAVERIANAE*, & inprimis viri magni & eximij IO. STRAVCHII *Diff. ad Ius IVSTINIANEVM priuatum Diff. VII. Apb. 1.*

(b) *§. 1. Inst. de reb. incorpor.*

(c) *ibidem §. 2.* Adi quoque eos, ad quos prouocauimus in nota (a)

(d) KRESS. in *Spec. iur. priu. Lib. I. Tit. II. §. XX. seqq.*

(e) in notis ad CAII *Inst. p. 73.*



rum diuisionem Stoicis tribuunt HVBERTVS GIPHANIVS, (f) IO. GOTTLIEB. HEINECCIVS (g) & NIC. HIER. GVNDLING. (h) A quorum omnium vero sententia discessit EVERARDVS OTTO, (i) atque hanc diuisionem a Physicis quidem, sed non sensu Stoicorum esse petitam confidenter decernit. Nam licet illi, pergit vir doctissimus, sensus omnes reduxerint ad tactum, tamen philosophis incorporalia sunt spiritus, nostris autem sunt iura. HEINECCII tamen & ceterorum praestantissimorum Iurisconsultorum causam strenue atque mascule egit illustris FRIDER. CAR. BVRI. (k)

## §. II.

Rerum autem corporalium dominium non, nisi in reb. si praecedente traditione, in nos transfertur. Quem corp. tradi- admodum igitur ad rerum corporalium dominium tio, ita in in- plenum consequendum traditio absolute necessaria corpor. cessio est: ita ad res incorporales, (vbi nomina, iura, necessaria est. & actiones,) earumque dominium plenum acquirendum, omnino requiritur iure ciuili cessio, (l)

A 3

qua

(f) in Comm. Inst. ad Tit. de reb. incorp.

(g) in notis ad VINNIANVM Comm. in Inst. p. 31. ed. Frf. de a. 1732. in 4.

(h) in Dig. L. I. Tit. VIII. §. 19. seqq. p. 100. seqq.

(i) l. c. p. 201.

(k) in Comm. ad IO. SCHILTERI. Inst. iur. feud. Tomo I.

p. 451.

(l) l. 3. pro Socio. l. ult. de donat.



qua omne id in rebus incorporalibus efficitur, quod traditio efficit in corporalibus. (m) Quaelibet enim res corporalis, cuiuscunque generis demum sit, per traditionem iure naturae nobis acquiritur, sed incorporalis cedi dicitur. (n)

## §. III.

*Quid cessio  
in genere?*

Exinde patet, quam maxime ad transferendas res incorporales necessariam esse cessionem. *Est autem Cessio in genere considerata, modus, iura & res incorporales, nobis competentes, in alterum transferendi.*

## §. IV.

*Quid cessio  
solemnis?*

Haec dispescitur in *solemnem & simplicem*: erat autem illa, *modus sollemnis non solum res corporales, verum etiam incorporales in alterum transferendi*. Priscis enim ac antiquissimis Romanorum temporibus sola traditio rerum corporalium non sufficebat, (o) sed ad harum ius legitimum, & Quiritarium dominium acquirendum, cessio sollemnis,

- (m) STRAVCH. loco cit. Diff. XVII. §. 16. CHRIST. LENTZ. Tract. de act. & nom. cessis Cap. IV. Membr. II. num. 20. seqq. KRESS. l. c. Libr. III. Tit. XIII. §. 12.  
(n) LENTZ. Tract. alleg. Cap. III. n. 10. L. 43. §. 1. de acquirendo rer. dominio.  
(o) VLPIANVS Fragm. Tit. XIX. §. IX. seqq. BOETHIUS Comment. in Topic. CICER. Libr. III.



nis, quae in iure quoque dicebatur, (p) omnino necessaria erat, quamuis iusta causa, iustusque titulus traditioni huic praecefferat.

## §. V.

Fiebat autem cessio solennis per tres personas, *Eius descri-*  
in iure cedentes, vindicantes, addicentes: cede-<sup>prio atque ef-</sup>  
bat enim dominus, vindicabat is, cui cedebatur, ad-<sup>fectus.</sup>  
dicebat Praetor, vel Praefes Prouinciae. Praetore  
nimirum praesente, is, cui cedebatur, rem tenens  
ita vindicabat: HANC EGO REM EX IVRE  
QVIRITIVM MEAM ESSE AIO. Tum interro-  
gabat Praetor cedentem: an contra vindicet? (non  
sufficiebat enim olim in contestanda rei vindicatio-  
ne, intentionem actoris negare, sed necesse quoque  
erat, reum contra vindicare) quo tacente, aut ne-  
gante, Praetor ei, qui vindicauerat, rem addice-  
bat: (q) & hoc apud Romanos Legis actio, seu  
actus legitimus, dicebatur. Hic modus solennis alie-  
nandi

(p) IO. GOTTL. HEINECCIUS *Antiq. Lib. II. Tit. I. §. XXIII.* IO. BALTH. WERNHER. in *Diff. de act. cessa aduersus confideiussores in solidum competente in principio.*

(q) CAIVS *Inst. Lib. II. Tit. I. §. 6. p. 84. seqq. edit.* ANTON. SCHVLTINGII, cuius notam 12. seqq. etiam con-  
sule. VLPIANVS *Fragm. Tit. XIX. §. IX. seqq.* &  
*ibidem* DION. GOTHOFREDVS in *notis sub lit. b. HEI-*  
NECCIUS *Antiquitat. Lib. II. Tit. I. §. XXIII.*



nandi res tam corporales, quam incorporales, iure Romano antiquo stricte obseruatus fuit. (r)

Legis actiones, seu actus legitimi, vocabantur istae solennitates, quae coram Praetore, vel quolibet Magistratu maiori, adhibitis quibusdam symbolis, inter Ciues Romanos celebrabantur. Eiusmodi erant mancipatio, in iure cessio, adoptio, emancipatio, manumissio & plures aliae, quas recensere omnes huius loci non est. (s)

§. VI.

*Solennis cessio a IVSTINIANO sublata est.*

Sed postquam differentia inter dominium Quiritarium & bonitarium a IVSTINIANO penitus sublata fuit, qui expressis verbis dicit: (t) *Antiquae subtilitatis ludibrium per hanc decisionem expellentes, nullam esse differentiam patimur inter dominos, apud quos vel nudum ex IVRE QUIRITIVM nomen, vel tantum in bonis reperitur, quia nec huiusmodi volumus distinctionem: per consequentiam quoque modos istos, quibus istiusmodi dominiorum genera acquirebantur, sublatos esse, nemo negabit, & sic eo*

(r) CAIVS l. c. BOETHIVS *Libr. III. Comm. in TOPICOR.*

(s) PETER FABER *Semestr. Libr. II. HIER. ALEANDER in notis ad CAIVM p. 85. edit. SCHVLTINGIANAE.* IOSEPH. AVERANIVS *Interpr. Iur. Libr. I. Cap. XXIX. num. 7.*

(t) l. vii. C. de nudo iure Quirit. tollendo.



eo ipso haec cessio solennis auctoritatem suam penitus amisit, quia per hanc dominium Quiritarium acquirebatur. (u)

Triplex enim iure Romano veteri dominium fuit, *naturale*, *legitimum*, & *plenum*: *naturale* habebat dominium, qui in bonis habebat, unde bonitarius dominus dicebatur; *legitimum*, quod quis sibi iure Quiritium adquisuerat: *plenum*, quando quis legitimum & naturale simul habebat. (v)

#### §. VII.

Dixi §. IV. huius Sect. cessionem vel *solen-* *Solennis cess-*  
*nem* vel *simplicem* esse. De illa me satis loquutum *sio multum*  
fuisse credo, de hac sequentibus. *Simplicem cess-* *differet a sum-*  
pionem ab ista solenni multum differre, nemo ne- *plici.*  
gabit. Vidimus enim, per cessionem solennem non  
solum incorporales res, sed quoque corporales in  
alterum transferri. Vidimus praeterea, per solen-  
nem plenum dominium in alterum transire. Sed  
hoc in simplici multo aliter se habet. In hac enim  
solummodo res incorporales, & quae earum no-  
mine comprehenduntur, qualia sunt ea, quae in  
B iure

(u) CORN. VAN BYNCKERSHOECK *de rebus mancipi & nec mancipi* Cap. IX. quod opusculum legitur in *El. Opuscul.* Tom. II. p. 97. Edit. CONRADINAE.

(v) DIONYS. GOTHOFREDVS *in notis ad L. vn. C. de mudo iure Quirit. tollendo lit. c.*



iure consistunt, sicuti hereditas, obligatio, actio, (vv) considerandae veniunt, nulla rerum corporalium ratione habita: porro in simplici nullo modo plenum dominium in cessionarium transfertur, sed iura directa in cedente manent, & nihil nisi exercitium actionis directae in cessionarium transfertur. (x)

## §. VIII.

*Quid cessio  
simplex?*

*Est itaque cessio simplex nihil aliud, quam iuris, vel actionis, contra alium nobis competentis, in alterum translatio. (y)*

Sed valde errasse mihi videtur BERLICHIVS, (z) quando cessionem simplicem vult esse, si quis nulla necessitate urgente, & causa obligationis nulla instante, ei, cui non fuerit obligatus, nomen cedit. Notum enim est, quod in traditione rei cuiusdam nihil aliud transfertur: quam nuda possessio, si nulla causa obligationis ac iustus titulus praecesserit: & sic eadem ratione res se habet in cessione; cessioni nimirum semper praecedat causa iustusque titulus, necesse est. Cessio enim mihi repraesentat tres personas, primo cedentem, qui nomen, seu actionem, in alterum transfert, secundo cessionaria-

(vv) LENTZ. d. Tr. Cap. III. n. 7. sqq.

(x) a SANDE Tract. de act. cessa Cap. XII. n. II.

(y) LENTZ. d. Tr. Cap. III. n. II. STRAVCH. l. c. Diff. XVII. §. 16.

(z) Part. II. Decis. 290. n. 28. BRVNNEMANNVS in Tr. de cessa act. Cap. V. n. 54.



cessionarium, in quem nomen, seu actio, ex praecedente causa, seu titulo, transfertur, & tertio debitorem cessum, qui cedenti obligatus fuit.

Observandum quoque heic est, quod, sicuti in translatione vel alienatione certarum rerum solennitas quaedam lege vel statuto requiritur, sic quoque eadem in cessione actionis, vel nominis, adhibetur. (a) E.g. iura ista, vel actiones, quae minoribus, vel certae ecclesiae, ad res immobiles persequendas comperunt, sine decreto magistratus cedi nequeunt, quia cessio est species alienationis. (b)

## §. IX.

Simplex cessio autem fit hac ratione. Praecessa nimirum habili ac iusta causa, ius exercendi actionem a cedente in cessionarium transfertur, ipsa autem actio directa manet apud cedentem, & ossibus quasi eius inhaeret, vt DD. loquuntur. Mandantur enim cessionario actiones a cedente, quas non suo nomine sed cedentis instituit. (c) Sicque tota cessionis forma hisce duabus constat partibus, titulo proprietatis, & mandato, titulo igitur omisso, cessio nulla intelligitur. (d)

*Simplex cessio-  
nis ratio &  
forma.*

B 2

## §. X.

- (a) TIRAQUELLVS de retract. consang. §. 1. gl. 7. n. 1. 2.  
 (b) a SANDE Tract. de act. cess. Cap. II. N. XII.  
 (c) NOODT. ad Digestorum Libr. XVIII. Tit. IV. in fin.  
 BRUNNEMANNVS d. Tr. Cap. V. n. 21. LENTZ. l. c. Cap. XVIII. M. I.  
 (d) BERGER. Resol. ad LAVT. p. 314. L. 31. de acquir. rer. dominio.



## §. X.

*Cessionarius  
accedente  
mandato con-  
stituitur pro-  
curator in  
rem suam.*

Ex quibus constat, praeter iustum titulum in cessione necessario quoque requiri mandatum, vi cuius cessionarius solummodo agere potest. Substituitur pro-litate enim iuris (ante tempora D. PII) neque actio directa, quae non poterat transferri, neque actio utilis, quae hoc tempore adhuc nondum inuenta erat, transibat, sed cessionario actionis directae, domino tantum competentis, exercitium concedebatur. (e) Mandandae igitur erant cessionario actiones, ut nomine cedentis eas exerceret; & sic cessionarius constituebatur procurator in rem suam, & actionem directam nomine cedentis quidem instituebat, sed ad propriam suam utilitatem. (f)

## §. XI.

*Cedens ma-  
net actionis  
dominus.*

Quum itaque, uti ex §pho praeced. patet, nihil nisi solum actionis directae exercitium in cessionarium transeat: necessario sequitur, ut cedens sit & maneat actionis dominus, adeoque hac ratione actionem semper valide intendere queat. (g)

## §. XII.

(e) LENTZ. d. Tr. Cap. XXVII. M. I. N. XXIX.

(f) STRAVCH. l. c. Diff. XVII. §. 16. IOAN. PETR. de FERRAR. Pract. aur. Tit. de form. libell. in Caus. vend.

(g) VLRICVS HVBERSVS ad Pand. Tit. de hered. vel act. vendita.



## §. XII.

His itaque ex methodi lege praemissis, pro- *An cessiona-*  
pius nunc ad hoc, quod elegi, argumentum acce- *rius si concur-*  
do, atque quaero: an cessionarius, si concurrat *rat, sit prae-*  
cum cedente, huic sit praefendus? Non diffi- *ferendus?*  
lis erit huius quaestionis decisio, si modo in iuris  
Romani veteris ac noui principia diligenter inquiramus.

Quidam totius huius controuersiae decisionem in hac distinctione ponunt, dum censent, si cessio facta sit in commodum ac periculum cessionarii, nullam amplius facultatem agendi cedenti competere; sin autem respiciat solam vtilitatem cedentis, recte eum experiri posse. (b) Sed si verum amamus, nullo intelligimus negotio, nominis, vel actionis, cessionem semper fieri in vtilitatem cessionarii. Nulla enim cessio veradici poterit, vbi solum commodum in cedentem redundat. Exinde patet, nullum hanc distinctionem in iure habere fundamentum. Origo autem huius distinctionis exinde promanasse videtur, quia Doctores cedere actiones, & mandare actiones pro vno eodemque habuerunt. Verum enim vero cogitare debebant boni illi viri, quod mandatum in solius mandantis commodum fieri queat, sed in cessione res sese multo aliter habeat. (i) Inter istos vero DD. qui nullam differentiam ponunt inter cedere & mandare actiones & inter procuratorem in rem suam & cessionarium, refertur quo-

B 3

que

(b) a SANDE l. c. Cap. XII. n. 1.

(i) LENTZ l. c. Cap. XXVIII. M. II. N. XVIII.



que LAVTERBACHIVS. (k) Rationes, quibus sententiam suam munit, hae fere sunt: Differentiam inter procuratorem in rem suam & cessionarium ius nostrum ignorare, & apertissimi iuris esse, procuratorem in rem suam constitui per cessionem. Sed dubitari nequit, quin iure Romano, nondum introductis actionibus vtilibus, nemo agere potuerit, cessione facta, nisi mandatis actionibus, & si cessio facta erat nullo mandato accedente, causa agendi quidem non cadebat cessionarius, sed formula certa agendi ei deerat, secundum quam actionem instituere debebat, si autem mandatum cessioni accesserat: tunc cessionarius constituebatur procurator in rem suam, & procuratorio nomine agebat, hoc vero nondum facto, nudus cessionarius erat, ac nulla actio exinde ab eo moveri poterat. (l)

## §. XIII.

*In solenni cessione affirmatur.*

Ad decidendam quaestionem in §pho praecedenti propositam distinguo primo inter *solemnem* & *simplicem*. Iure veteri, ubi cessio solennis adhuc in usu erat, cessionarius semper praefereendus erat, quoniam nil iuris in cedente manebat, sed omne ius ac dominium in cessionarium transferebatur, (§. IV. & V. hujus Sect.) sed haec iam olim non amplius in usu fuit.

## §. XIV.

(k) in colleg. Theor. pract. tit. de hered. vel act. vend. §. XXXVI.

(l) HVBERS in Prael. ad Tit. XVII. Pand. n. §.



## §. XIV.

Quid vero dicendum in cessione simplici? Heic *In simplici*  
 iterum distinguo inter tempus illud, antequam actio- *certo modo*  
 nes vtilis introductae erant, & post tempus istud, *negatur.*  
 in quo ab Imp. D. PIO istae actiones vtilis inuentae  
 sunt. Ratione temporis ante introductas actiones  
 vtilis, quaestio illa in §pho XII. huius Sect. pro-  
 posita; an nempe cessionarius, si concurrat cum  
 cedente, huic sit praefendus? merito neganda  
 erat: ex hoc fundamento, quia in simplici cessione  
 nil nisi exercitium actionis directae in cessionarium  
 transferebatur, ipsa actione directa in cedente ma-  
 nente, & ab eo separari non magis potest, vt DD.  
 loquuntur, quam anima a corpore. Introductis vero  
 actionibus utilibus, quaestio affirmanda, quia heic  
 non opus habet cessionarius, procuratorio nomine  
 agere, sed totum actionis suae fundamentum in iusta  
 & habili causa ponit,

## §. XV.

Cedens igitur ante tempora D. PII. re integra de- *Ante tempo-*  
 bitorem valide conuenire, *(m)* atque sic cessionarium, *ra D. PII ce-*  
 aeque agere cupientem, eo ipso impedire poterat. *dens praefere-*  
 Siquidem cessionarius heic non suo nomine, sed pro- *batur.*  
 curatorio nomine agebat, & quasi mandatarii perso-  
 nam repraesentabat.

Sed

---

*(m)* l. 3. C. de nou. ac delegat.



Sed non dicam, vt BRVNNEMANNVS (n) fecit; quod cessio nihil aliud sit, quam mandatum. Cessio enim & mandatum longe maximeque differunt. In cessione quidem mandato opus est, exinde tamen dici nequit, cessionem & mandatum vnum idemque sonare, sed mandatum potius in cessione est modus, quo cessionarius experiri possit, o) & vi cuius actionem suam contra debitorem cessum in iudicio intendit.

## §. XVI.

*Requiritur  
vero vt res  
sit integra.*

Quando autem cedens contra debitorem cessum ipse agere cupiebat, necessario requirebatur, vt res adhuc integra esset. Dicitur autem res integra esse, si litem nondum contestatus est cessionarius cum debitore cesso, si partem debiti solutam non accepit, si debitori cessionem non denunciavit. (p) Vno saltim ex hisce tribus facto, cedens cessionario amplius praeiudicare nequibat. (q)

Vult quidem BERGER, (r) Imperatorem in l. 3. C. de nou. & delegat. nihil agere de concursu: Sed verba legis adeo clara sunt, vt nullum dubium amplius superesse possit, quin Imp. GORDIANVS in hac lege agat de concursu cedentis & cessionarii. Ponit nempe in hac lege Imp. creditorem, qui actionem solutionis causa creditori suo man-

(n) d. Tr. Cap. V. n. 21.

(o) STRAVCHIVS l. c. Diff. XVII. §. 16. in fine.

(p) l. 3. C. de nou. & delegat.

(q) BRVNNEMANNVS d. Tr. Cap. V. n. 21.

(r) Resol. ad LAVTERBACHII Libr. XVIII. Quaest. XII.



mandauit, quis heic alius est quam cessionarius?  
 qui constitutus fuit procurator in rem suam: &  
 verba vltima legis: *eo modo tui creditoris exactionem*  
*contra eum inhibere*: nihil aliud volunt, quam quod  
 re integra adhuc, i. e. si nullum ex hisce tribus in  
 hac lege positis interuenerit, cedens tunc possit de-  
 bitorem ipsum experiri, & creditoris sui, illius pro-  
 curatoris in rem suam, exactionem inhibere. Gra-  
 uiter quidem obstare videtur *l. ss. de procura-*  
*toribus*, vbi VLPIANVS expressis verbis edi-  
 cit: *procuratorem in rem suam praeserri domino*. Sed  
 scias, qui haec obiciis, velim, hanc legem non in-  
 telligendam esse, quando cedens cum cessionario  
 concurrat, & hic procuratorio nomine agit, sed si  
 cessionarius vtili, cedens vero directa actione a-  
 git, (s) hac ratione ille huic semper praerendus  
 est, vti in sequenti Sect. videmus.

## SECTIO SECVNDA.

DE CONCVRSV CEDENTIS ET CES-  
 SIONARIJ, POST INTRODVCTAS  
 ACTIONES VTILES, EIVSQVE  
 VSV HODIERNO IN  
 GERMANIA.

Postquam constitutione Imp. D. PII actiones viles *Constitutione*  
 inuentae fuerunt, haec subrilicates iuris Romani *D. PII actio-*  
 omnes e foro nostro eiectae sunt. Haec constitutio *nes viles in-*  
 pri-

(s) LENTZ. *Cap. XXIX. N. V.*



*introduc-  
tae fuerunt.*

primo restricta fuerat ad emtionem venditionem, (r) at postea ad quascunque causas, quibus iure civili res transferri solet, (u) extensa fuit.

§. II.

*In actione  
vtili cessiona-  
rius praefertur.*

Quidquid igitur in praecedentibus dictum, id omne intelligendum de iis temporibus, vbi nondum introductae fuerant actiones vtilis, & vbi, cessione facta, nil nisi nudum exercitium actionis directae in cessionarium transferebatur. Sed introductis actionibus vtilibus res multo aliter se habet. Hac actione vtili enim cessionarius non nomine alieno, seu cedentis, sed proprio nomine, ex iusta & habili causa, nullo attento mandato, contra debitorem cessionum agit, quo casu, si cessionarius concurrat cum cedente, ille huic merito praefereendus est. (v)

§. III.

*Quid actiones  
directae &  
vtilis.*

Dicuntur autem actiones vtilis, quae citra mandatum, nuda voluntate, ex iusta & idonea causa alicui competunt. (w) Directae vero vocantur, quae praecedente mandato, nomine mandantis, ex iusta & habili causa intenduntur. Ex hisce vnicuique luculenter patet, insigne inter actionem vtilem & directam intercedere discrimen.

§. IV.

(r) l. 10. de pactis.

(u) a SANDE d. Tr. Cap. VIII. N. VIII.

(v) l. 11. de procuratoribus.

(w) a SANDE d. Tr. Cap. VIII. N. VII.



## §. IV.

Diuerſae autem hae actiones a ſe inuicem ſunt, non ſolum in forma agendi, verum etiam in effectu *Actionis directae & vtilis differentia.* ipſo. Nam ſi vtili ago, totius libelli conſuſio meo nomine eſt formanda, non cedentis, ac totum fundamentum agendi non ponendum in ceſſione, ſeu mandato, ſed potius in praecedente cauſa habili iſtoque titulo, ex quo debitorem mihi obligatum eſſe, dico. (x) In effectu vero (quod heic ante omnia notandum) ita differunt, vt, quando is, qui vtili agit, concurrat cum illo, qui actionem directam intendit, ille huic ſemper praefereendus ſit, & hoc multo magis dicendum, ſi is, cui vtilis competit, habet cauſam ab eo, cui competit directam. (y)

## §. V.

Sollicite igitur ſemper inquirendum eſt: an quis *Sollicite inquirendum,* vtili, an vero directam, agat, & tunc facile diiudicari *an quis vtili an vero directam agat actione.* poterit quaestio in §pho. XII. Sect. I. propoſita, quia in hoc fundata eſt totius quaestionis decifio.

## §. VI.

Pertractatis hucusque principiis iuris Romani tam veteris, quam noui, vnum adhuc nobis ſuper *Praeparatio ad ſequentia.* eſſe videtur, vt inueſtigemus, quam longe lateque *forum*

C 2

(x) BRUNNEMANNVS. l. c. Cap. V. n. 19.

(y) LENTZ. Cap. XXIX. n. 4. à SANDE Cap. VIII. n. 30.



forum Germanicum a foro Romano in hac materia discesserit.

§. VII.

Germani in  
alienatione re-  
rum omne ius  
ac dominium  
transferebant.

Germani etsi semper auersati sint spinosam mul-  
tisque tricus inuolutam diuisionem rerum in corpo-  
rales & incorporales, ipsique adhuc careant verbo,  
quod illi, quem Iurisconsulti Romani voci *incorpo-*  
*ralis* adfinxerunt, conceptui accurate conueniat; (z)  
non tamen plane ignorarunt res, quas sub hac diui-  
sione complectebantur Romani, & nostris temporibus,  
argutiis Romanis paullo magis, ac olim, ad-  
fueti sub vocabulis res incorporales, *Rechte und Ge-*  
*rechtfamen*, *Gerechtfamen*, etsi improprie, (a) com-  
prehendunt: nihilominus non tam subtiliter philoso-  
phati sunt, ac Romani, nec rerum intuitu diuersos  
excogitauerunt transferendi modos; sed quando res  
quaedam ab illis alienabatur, siue erat corporalis, siue  
incorporalis, eo ipso omne ius ac dominium illius  
rei tam directum, quam utile, in alterum transfere-  
bant, ne minimo quidem iuris vestigio apud alie-  
nantem remanente.

§. VIII.

Cessione facta  
hodie tam ius

In alienatione rerum incorporalium, nulla spe-  
ciali cessione earum opus est, nec vtilis solummodo  
actio

(z) *illustris BVRIVS l. c. p. 452.*

(a) IO. STEPH. PUTTERVS in *Elem. Iur. germ. §. 107. in nota.*



actio in cessionarium transfertur, directa apud cedentem manente; sed omne ius sub solenni formula, *directum quam Erb und eigenthümlich cediren und übergeben*, in cessionarium transfertur, cum renunciatione iuris & actionis sit. *utile in cessionarium trans-*  
directae & utilis, sub hac formula: *Sich aller weiter An und Zusprüchen kräftiglich verzeihen.* (b)

## §. IX.

Sic omnes istae subtilitates, quæ iure Romano observabantur, quod nimirum actiones veluti ossibus acquirentis inhaereant, nullo modo in foro nostro receptæ fuerunt, sed vti in aliis pluribus usus fori Germ. meram iuris Quiritium subtilitatem haud agnovit, ita quoque hoc in articulo iuris illius ratio minime habenda est. (c)

*Germanis ignotum est actiones veluti ossibus inhaerere.*

## §. X.

Eo quoque ipso evanescit tota necessitas procuratorem in rem suam constituendi. Nam sicuti in cessione hodie non est necesse, ut cessionario, antequam contra debitorem cessum agere vult, prius actiones mandentur: ita quoque non opus habet cessionarius procuratorio nomine eum experiundi, sed actionem suo nomine contra debitorem cessum

*Exinde non est necesse procuratorem in rem constituendi.*

C 3

insti-

(b) SCHILTER. *ad Pand. Exercit. XXX §. 63.*

(c) SCHILTER *alleg. loco.*



instituit, ac totius actionis suae intentionem in praecessa habili causa iustoque titulo ponit.

## §. XI.

*Sed sufficit sola causa iustusque titulus.*

Quando itaque hodie non amplius opus est mandato, vi cuius cessionarius solummodo agere poterat: sequitur, ut sola causa iustusque titulus cessioni sufficiat, accedente legitimatione ad causam, & merito repellendus sit hodie cedens exceptione doli mali, quando ius istud, quod semel titulo, & quidem oneroso, in cessionarium translatum fuit, sua exactione debiti cessi ei auferre conatur. (d) Denotat enim cessionis vocabulum in foro nostro plenam dominii, iuris, & actionis alienationem & translationem, acquisitionemque. (e)

## §. XII.

*Et legitimitio ad causam.*

Praeter iustum titulum & causam habilem accedere quoque oportet, uti in §pho praeced. dictum est, legitimitio ad causam, qua omissa, semper cessionario, contra debitorem cessum agenti, exceptio legitimationis ad causam obstat, (f) & si debitor cessus cessionario sine praecedente legitimatione soluit, nullo modo contra creditorem cedendum.

(d) l. 12. de dolo malo. l. 36. de V. O. l. 1. §. 1. de doli mali except.

(e) SCHILTER. l. c. §. 66.

(f) Illust. AVGVSTINVS A LEYSER. *Med. ad Pand. Vol. III. Sp. CCI. Med. I.*



dentem securus esse poterit. Huic enim facto tertii praeiudicari nequit, nec exceptio rei iudicatae a debitore creditori obmoueri potest, quia hic semper debitoris intentionem potest elidere hac replicatione: quod inter alios acta & iudicata aliis nec noceant, nec profint. (g)

## §. XIII.

Fit autem legitimatio ad causam hoc modo: cessionario nimirum incumbit demonstrare ius istud, quod cedenti contra debitorem cessum comperebat, ad se ex habili causa iustoque titulo translatum fuisse, quod fieri potest vel *per testes*, vel *per productionem instrumenti rite facti*, in quo necessario requiritur, ut causa & titulus exprimatur, (h) quibus ortum suum debet cessio: vel *per praesumptionem iuris*, e. gr. ex possessione chirographi, (i) ad quod tamen iuramentum suppletorium accedere debet. Hac ratione semper securus erit debitor contra cedentem creditorem suum: & facta hac legitimatione, cessionarius actionem alii natam, sibi arrogare, sibi que exigere potest. (k)

## §. XIV.

(g) l. 63. pr. de re iudic.

(h) A. LEYSER. l. c. Med. IV.

(i) DAV. MEVIUS Decis. P. I. Dec. CLX. n. 3. ubi tamen salutares cautiones suppeditat, quas observare debet is, qui in possessione chirographi actionis suae fundamentum ponit.

(k) IO. TOB. CARRACH. de vera indole exception. legitimat. ad causam. §. 9.



## §. XIV.

*Iudex excep-  
tionem legi-  
tim. ad cau-  
sam supplere  
tenetur.*

Et quando cessionarius ex iure cesso agit, de causa vero ac titulo cessionis nondum constat, tunc iudex legitimationem ad causam ex officio urgere, omisamque ab aduersa parte exceptionem supplere tenetur, (1) quae adhuc quoque in secunda instantia moueri, (m) quin immo eiusdem defectus in executione opponi potest. (n)

## §. XV.

*In Germania  
legitim. ad  
causam saltem  
opus est.*

Ex quibus constat, nihil amplius opus esse in Germania ad cessionem, quam legitimationem ad causam rite factam fuisse, & nihil obstat amplius cessionario, quo minus debitum a debitore summa cum acuitate exigere queat. Hodie nimirum in cessione plene transfertur dominium, sine respectu mandati: exinde porro sequitur, quod non demum litis contestatio, nec denunciatio debitori facta, cedenti adimat ius exigendi, sed ipsum factum cedentis simpliciter, (o) quo simul omni iuri suo renunciauit.

## §. XVI.

(1) B. CANCELLARIUS IAC. FRIDR. LVDOVICI *de legitimatione ad causam*. §. 9. 10.

(m) BENED. CARPZOVIVS *in Iurispr. For. Romano-Saxon.* P. I. C. I. Def. 26. n. 2. DAV. MEY. P. IV. Decis. CCIV. n. 7.

(n) CARPZOV. l. c. P. I. C. XVII. Def. 33. BERLICHIVS P. I. Concl. 84. n. 9. DE LYNCKER *Decis.* P. I. Cent. IV. Decis. 376. DE LEYSER l. c. Med. I.

(o) SCHILTER. l. c. §. 64.



## §. XVI

Quicquid igitur in foro nostro de concursu ce- *An hodie ce-*  
 dentis ac cessionarii sit dicendum, facile diiudicari *denti cessiona-*  
 potest. Simulac enim hodie negotium inter ceden- *rius praefera-*  
 tem & cessionarium perfectum est, cedens omne *tur?*  
 ius & actionem abdicauit, ac totum negotium ir-  
 renocabile est, moribusque nostris nullum ius per  
 actionem directam reservatur. Quicunque igitur  
 exigit, quod ei non debetur, & ad quod nullum  
 amplius ius habet, is merito censetur esse in dolo:  
 Ergo hodie cedens nullo modo cessionario praeiudicare  
 potest, & nullum dubium amplius superest,  
 quin cessionarius, quando concurrat cum cedente,  
 ille huic semper praeferendus sit. (p) Quid? quod  
 multis in locis vel lege, vel consuetudine, intro-  
 ductum est, vt, semel peracta actionis cessione, nul-  
 lum amplius ius agendi cedens exercere queat. (q)  
 Singillatim id iure Würtembergico statutum esse,

D

memo-

(p) IO. HENR. Nob. Dominus de BERGER in *Oeconom. Iur.*  
*Libr. III. Tit. V. §. 5. nota (6)* GERARDVS DIETER.  
 VAN ALTENA in *Diff. ad l. 3. C. de nouat. & delegat.*  
*Lugd. Bat. 1733. proposita Cap. II. §. 9.*

(q) Cuius rei amplissimum testimonium perhibet post GORI-  
 SIVM, MANTICAM, IASONEM, TVSCHVM, CHRI-  
 STINAEVM, REBVFFVM, TIRAQVELLVM, & GROE-  
 NEWEGIVM, SAMVEL STRYCKIVS de *iuribus &*  
*actionibus non cessibilibus Cap. VI. §. 2.*



memorat testis omni exceptione maior WOLF-  
GANGVS ADAMVS LAVTERBACHIUS, Iuris-  
consultus & praestabili clarus doctrina, & forensis  
triturae peritissimus. (r)

## §. XVII.

*Debitovi ces-  
so competit  
exceptio fa-  
ctae cessionis  
& actionis  
non compe-  
tentis.*

Praeter exceptionem doli mali debitori cesso  
contra cedentem competit quoque exceptio factae  
cessionis, & actionis non amplius competentis ex-  
ceptio. Ad hoc vero requiritur, vt cessio sit certa,  
& non amplius dubitetur, negotium cessionis reue-  
ra fuisse celebratum atque perfectum. (s)

## §. XVIII.

*Peroratio.*

Haec fere sunt, quae inauguralis speciminis  
loco de concursu cedentis & cessionarii secundum  
diuersa iuris Romani principia, & vsum hodie-  
num forenses in chartam conicere decreueram.  
Quo in scribendi genere si me humani aliquid pas-  
sum esse intelligas, Lector, id omne vt ingenio-  
lo meo, & iuuentuti meae perbeneuole ignoscas;  
sin vero aliqua recte vereque dicta deprehendas,  
vt non mihi, sed Deo Optimo Maximo, vnico  
veri-

(r) in Colleg. Theor. pract. ad Tit. Dig. de hered. vendita.

(s) BRVNNEMANNVS l. c. Cap. V. num. 26.



veritatis auctori, & fideli Doctorum institutioni  
tribuas, magnopere atque vehementer oro rogo-  
que, & a candore tuo me non difficulter hoc  
impetraturum esse, non tam spero, quam  
potius certissime atque laetissime  
confido.

T A N T V M.



D 2

Freund!



Freund! wär es mir vergönnt, ich käme selbst zu  
Dir:

Doch es geschieht im Geist, bleibt gleich der Cörper  
hier,

Ich seh, ich höre Dich, gelehrt und gründlich strei-  
ten,

Und Dein Dir eigen Lob von andern zubereiten.

Ich schweige gleichfalls nicht, und trete diesen bei,

Doch da ich mich getirt, daß ich zugegen sey;

So soll mein treues Herz, was Pflicht und Freund-  
schafft wollen,

Dir, längst geprießner Freund, so gut es kan ver-  
zollen.

Nimm dann, o Freund, getrost, den Preis von  
Themis Hand,

Beweis durch Deine Kunst, daß Dir der Ehrens-  
stand,

Den Du Dir jetzt erwirbst, schon längstens zuge-  
höret.

Es weiche stets von Dir, was Deine Ruhe stöhret.

Soll Rom das Muster seyn? folg dem Papinian,

Erwähl im Christenthum den großen Brunne-  
mann,

So



So wird Dein Thum gerecht, gelehrt und gründ-  
lich heißen,  
Und Dich, obgleich zerstäubt, doch noch die Nach-  
welt preisen.  
Und so wirst Du, o Freund, o tröff es jetzt schon  
ein!  
Der Bosheit Gegengift, der Unschuld Retter seyn.

Diese Zeilen widmete dem Herrn Can-  
didato als ein Denckmal seiner Red-  
lichkeit und Freundschaft

Desselben

aufrichtiger Freund und Diener

Willhelm Philipp Seyfried,  
I. V. L. Advoc. Ord. zu Grancsfurt  
am Mayn.

Werthester Pistor! dein rühmlich Bemühen  
Ist nun zum trefflichsten Ende gediehen.  
Der reine Trieb, der Dich zur Themis gelenket,  
Wird nun beschenkt.

D 3

Mich



Mich muß die innigste Freude beleben;  
 Weil ich Dich sehe vom Lorbeer umgeben,  
 Der nicht durch blindes Glück an der Stirn grünet,  
 Den Du verdienst.  
 Freund! gutes Geschicke wolle Dich leiten,  
 Und Dir noch höhere Ehren bereiten.  
 Blühe und wachse! Sey, ruf ich entzücktet,  
 Ewig beglücktet!

Mit diesen wenigen Zeilen wollte dem  
 Herrn Candidaten, als seinem wer-  
 thesten Freunde, zu der erhaltenen  
 Licentiaten-Würde seinen schuldi-  
 gen Glückwunsch abstaten

Desselben

aufrichtigster Freund und Diener

Johann Eberhard Siegler,  
 der beyden Rechten Licentiat und or-  
 dentlicher Sachwalter in Frank-  
 furt am Mayn.

Perbene dum monstras, mi PISTOR! cedere  
 iura,  
 Nunc lauri frondes dat TIBI sacra Themis.  
 Gra-



---

Gratulor has laudes, possis contingere metas  
Et Themidis fructus carpere, corde precor.

Amplissimo atque consultissimo *Domino*  
*Candidato*, amico suo honoratissimo,  
breuiter quidem ex animo ita gra-  
tulatur

IO. FRID. HARTM. BALSER,  
Gissensis Hassius, LL. Cultor.

---

**M**usarum ascendens Cathedram, carissime PISTOR,  
Ostendis specimen sedulitatis ibi.  
Praemia pulcra ideo donat TIBI docta Minerua,  
Gratulor ex animo omnia clara TIBI.  
Perge Tuum scriptis Nomen celebrare per orbem,  
Vt TE posteritas, dulcis AMICE, canat.

Necessitudinis causa scripsi

LVDOVICVS VERDRIES,  
Gissa Hassius, LL. Cultor.

Glück



Glück zu! will Dich Minerva küssen!  
 Freund ruffet die erfreute Brust,  
 Dein edler Fleiß und ächtes Wissen  
 Versprach mir längst schon diese Lust.  
 Leb stets vergnügt! viel Glück und Freud  
 Begegne Dir zu jeder Zeit.

Dieses wolte glückwünschend dem  
 Herrn Candidaten beifügen

L. B. F.













00. A 6351

ULB Halle

3


002 912 171




V. 17

Reihe V.









DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA  
DE  
CONCURSU CEDENTIS  
ET  
CESSIONARII,  
SECUNDUM DIVERSA IURIS ROMANI  
PRINCIPIA, ET VSUM HODIERNUM  
FORENSEM.

QVAM  
PRAESIDE  
DEO IMMORTALI  
EX DECRETO  
ILLVSTRIS IURISCONSULTORVM ORDINIS  
IN ACADEMIA LVDOVICIANA  
PRO LICENTIA  
SUMMOS IN VTROQUE IVRE HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE  
CAPESSENDI

AD DIEM AVG. MDCCCCL  
PVBLICAE ERVDITORVM CENSURAE  
EXHIBET  
IOANNES CHRISTOPHORVS PISTOR  
GIESSENSIS.

~~~~~  
G I E S S A E,
Typis IOANNIS IACOBI BRAVN, Acad. Typogr.